

Q. N. 166. 16

Ve
361

RECTOREM
ACADEMIÆ MAGNIFICUM,
REIPUBLICÆ VTRIVSQVE
PATRES CONSCRIPTOS,
CVM FLORENTISSIMA
GENEROSISSIMORVM NOBILISSIMORVMQVE
COMMILITONVM CORONA
AD
ORATIONEM,
QVA
PROFESSIONEM
IVRIS SAXONICI, ET CVRSORIÆ PANDE-
CTARVM TRACTATIONIS
AVSPICABITVR,
AD D. XIX. IVNII POST SACRA MATVT.
IN COLLEGIVM ICTORVM PETRINVM
SVBMISSE ET PEROFFICIOSE
ROGAT, INVITAT
D. IOH. FRID. TROPFNER, P.P.
EXTRAORD.

*De Juris Saxonici apud externos
populos auctoritate.
a c. vniuers. epi. fatis*



RECTOREM
ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMAE
PATRES CONSCRIBITOS
GENTISSIMORUM HOMINUM
COMMISSIONARIUM
ORATIONEM
PROFESSORUM
IN COLLEGIO
D. JOHANNES

EX LIBRIS
UNIVERSITATIS
SACHSEN-ANHALT





Um memoriam temporum isto-
rum, quibus omnis in feritatem
mutata erat humanitas, accura-
tius mecum perpendo, ævumque
illud revolve, quo terra, homi-
num domicilium, hominibus ca-
rebat, vitiorum inundatione alte-
ro quasi diluvio submersis, non possum non felicitatem
temporis præsentis deprædicare, quo humanum
genus ad tantum Jurisprudentiæ decus pervenit, &
versa rerum scena novam quasi Justitiæ & humani-
tatis formam recepit. Quod si enim Historiæ Saxo-
nicæ ætatem ante Caroli Magni tempora, ejusque o-
riginem ab origine repeto, iisdem Legibus populus
ille vixit, quibus reliquæ Germanicæ Gentes, quodam
quasi viciniæ contactu commercioque, scriptis desti-
tutæ Legibus, ex moribus & consuetudinibus longo
tempore observatis, *Tacitus de Moribus German. c. 19.*
Quæ fundamento æquitatis interdum non subnixæ,
speciem tamen præ se ferebant recti bonique. Re-
bus non verbis id testor, cum *Judicii aquæ des Was-
ser-Urtheils Speculum Saxonicum art. 21. l. 3.* mentio-
nem facit, & *Jus Feudale Saxonicum c. 40.* explicat,
nec silentio Jus illud Duellicum prætereundum, ubi
justitia causæ ad impetum, non consilii vim redigeba-
tur, justiorque erat, qui fortior, ut adeo carceribus,
quasi homines emissi, in naturalem illam & cum fe-
ris libertatem communẽ evasisse videantur. Vidit hoc
Terrarũ orbis, non vidit, sed sensit, non sensit, sed agno-
vit,

vit, non agnovit, sed fastidiit, non fastidiit, sed horruit,
horrescitq; adhuc animus ista referens. *Conf. art. 63. l. 1.*
Spec. Sax. & Goldastus Tom. I. Constit. Imper. fol. 314.
Conringius ex Witichindo in Tractat. de Orig. Jur. Ger-
man. c. 18. p. 100. Lehmannus Chr. Spir. l. 5. c. 4. Postea-
quam autem Carolus Magnus Saxones sub suam re-
degisset potestatem, (cum in nulla gente tantum
vincendi consumpsisset spatium) Seculo quoque IX.
Justitiæ seges undiquaque disseminata, legibus in
scripturam redactis, quæ literarum monumentis
consignatæ extant apud *Lindenbrogium & Stephanū*
Baluziū. Quid? quod ejus Justitiæ Legumq; amor vel
ex eo eluxit, dum summam vigilantiam in fede & Ju-
dicio Aquisgranensi adhibuit, & utriusque temporis
tam Belli quam Pacis ita rationem inivit, ut ambigas,
quæ gloria ipsi & auctoritatem conciliaverit majo-
rem amoremque. Usque dum cum Seculo IX. ubi
Carolingi cum Ludovico IV. exspirabant, simul quo-
que felicitatis materia migrare videretur. Variam
enim eo tempore Jura Saxonica sunt experta fortu-
nam, quam vel adscribas bellis intestinis (quæ dum
inter viscera aluntur quasi, miserum in modum ja-
ctant Rempublicam atque pessundant) vel aliis tur-
bis, quibus Germania pressa spiritum ægre ducebat,
adeoque tenaciùs inimica hæc hærebant, ut ordinem
infelicitatis nulla benignior fortunæ aura interrump-
peret, sed cum Sec. sub *Ottonibus & Henricis X & XI.*
perduraret: *Vid. Conringius d. O. J. c. 19. & c. 25.* Se-
culo demum XII. & XIII. resipuit Saxoniam, tempore
Fri-

Friderici II. Imperatoris, teste Heigio P. I. Q. Saxon. n. 50. Conring. d. O. J. c. 30. è spississimis erepta tenebris, lucemque aspiciant publicam collectiones illæ, quibus vel Speculi Saxonici, vel Weichbildi Magdeburgensis nomina imponebantur. De quorum autore non una omnium est sententia, agitataque pridem à Cranzio, Conringio, Gryphiandro, aliisque hæc controversia, Carolo Magno tanquam Autori Jus Provincialenatales suos debere. Fundamentum propterea intentionis suæ collocant in Art. 82. l. 3. Dieses der Sachsen Privilegium ist gegeben worden auff der Sachsen Burg vom König Carolo nach Christi Geburt im 810. Jahr. Verum enim vero licet multa in Speculo Saxonico reperiantur, quæ ex diuturnitate temporis consuetudinis naturam induerunt, & Caroli M. sequentiumque Imperatorum autoritate firmissimum acceperunt robur, non tamen omne. Jus Saxonicum quod in Speculo continetur, à Carolo traxit originem. Res ipsa loquitur, quando Speculum l. 1. tit. 17. ad oculum demonstrat, quod Jura Carolinis antiquiora complectatur, in verb. Triplicia Jura Saxones præter consensum Caroli Imperatoris sibi retinuerunt, unum, quod Sævicas mulieres ab omni successione in terris Saxonie excludebat: Secundum, quod Saxoni super quocunque facto extrajudiciali, de quo vel plenissime testimoniis viva vocis convictus erat, nihilominus permittebatur, innocentiam juramento purgare: Tertium, quod liberum erat Saxoni reprehendere qualemcunque sententiam adversus se latam, dummodo su-

per injustitia judicati attestaretur dextram, & adversarium ad duellum provocaret, conf. Colerus de Orig. & progress. Jur. Saxon. Imo idem Speculum aliquot Seculis post Carolum M. conscriptum esse, documento sunt subsequens Imperatorum Constitutiones, quæ eidem insertæ reperiuntur & notatæ à Gryphian-dro de Weichb. Sax. c. 37. seqq. conf. Illustris Dn. Stryk. in Prefat. ad us. mod. Pandect. §. 10. Progressu deinde temporis & quidem Seculo XIV. ob frequentes in Saxoniam irruptiones Sclavorum ac Ungarorum Magdeburgum cum solo adæquata esset civitas olim celebris, & in formam pagi redacta, denuo autem a. 939. mœnibus circumdata, Egitta Edmundi Regis Angliæ filia suppliciter petiit, ut Magdeburgenses Civitatis jure donarentur, certa ipsis Legum præscripta forma vendique ratione: quo factum, ut ex medullis quasi LL. Saxoniarum aliquid extraheretur, nomineque Weichbildici Magdeburgensis appellaretur, ubi non omittimus judicium Glossatoris ad art. 1. cit. Weichbild. huc referre, quod nimirum ea, quæ in Speculo Saxonico nimis prolixè dicta sint, ibi brevius, & quæ in illo nimis nervosè, hic plenius aliquantùm exposita reperiuntur. Diversitas autem temporis inter Autores & confirmationis Imperatoriæ diversam quoq; constituunt sententiam, dum alii, inter quos Colerus d. Orig. Jur. Sax. annum 940. tempore Ottonis ex Manuscripto quodam Zobelii defendere conantur, quod tamen Ἰστορία ἐξ ὀξυῆν. Dn. Stryk. in Dissertatione de Jure Silesiorum Saxonico à veritate alienum esse videtur, quia à fide

fide abhorreret Ottonem I. five M. Sec. X. aliquid confirmasse, quod Sec. XIV. in publicum prodisset. Alii annum Christi 999. alii vero 990. tribuunt temporis nativitatis Weichbildici Magdeburgensis, quod à scopo nostro alienum est altius indagare. Sufficit hoc ad notitiam nostram pervenisse verum Weichbildici Juris Autorem in tenebris adhuc latere, omnique tempore publica autoritate destitutum mansisse. Sed hæc quasi *per transitū*, cum de dignitate Juris nostri Saxonici major verba faciendi supersit occasio, adeoq; in viam redeundum. Testimonium enim suppeditant luculentissimum gentes plurimæ, quæ prærogativam *Juris Saxonici* præ Romano agnoverunt, non solum Marchia, ubi ad initium Sec. XVI. Jus Saxonicum in viridi fuit observantia, sed & in Ducatu Brunsvicensi & Lüneburgensi pro regula Jus Saxonicum observatū fuisse, usque dum demum repudium ei daretur: *conf. Andr. Knichen de Pact. Investit. P. I. c. 1. n. 53. Conring. d. Orig. Jur. German. c. 33.* Neque minus sub Boleslao Pudico, qui urbem Cracoviensem Jure Saxónico stabiliverat, adeoque Sec. XIII. *Jus Saxonicum* in Polonia autoritatem publicam nanciscebatur. *via. ipsum Casimiri Privilegium apud Goldastum*, qui collectionibus LL. Imperialium illud præmisit, *Hartknoch de Republ. Pol. L. II. c. 11. §. 5.* contra *Conringium*, qui ad *Leskonis Nigri* tempora ejus initia retulerat. Eademque ratione Seculo XII. & XIII. in Silesia Jura Saxonica sua capiebant incrementa, ita ut sub Jure Teutonico, quoties in antiquioribus Silesiæ & Poloniæ

mo -

monumentis illius sermo fit, Saxonicum intelligendum esse existimet allegatus *Hartknoch de Rep. Pol. l. 2. c. 2.* Fundatam hinc dicitur habere intentionem, qui in Jure Saxonico se fundat, & Jus Civile alleganti incumbit probatio, quod tum demum, ubi *Saxonicum* deficit, obtinet autoritatem, monente *accuratissimo Juris Saxonici observatore Dn. Carpzov. Prax. Crim. Q. 42. Part. 3. Decis. 288. n. 20.* ubi hanc fovet sententiam, quod illa, quae *Jure Saxonico* expresse non decisa, relinquuntur sub dispositione Juris Communis, quod ita est admittendum, si verbis Saxonici Juris & rationem ejusdem superaddamus. Sæpius enim verba Juris deficiunt, ubi ratio tamen non deficit, quod autem ratione Juris continetur, verbis quoque contineri existimandum, cum scire leges non sit verba earum sed vim atque potestatem tenere: idque ad Jus Feudale applicat *Finckelthaus Disput. Feud. I. Controv. 9. Struv. de Feud. c. 1. Thes. 14. Verbis quippe consuetudinem Feudalium deficientibus non statim utendum esse Jure Romano, sed si ratio Juris Feudalis deficiat.* In tanta tamen *Juris Saxonici* celebritate famæque autoritate, quam hactenus ostendi, non defuerunt calumniatores, qui Jus Saxonicum omni carere ratione, publice profiteri non erubuerunt propterea, quod *Juramentum calumnie* generale in desuetudinem abierit, inter quos *J. C. quondam Clarissimus in Academia Jenensi Matthias Colerus Decis. 117. n. 10. seqq.* primum vendicat locum, cujus vestigia secutus *Henningus Gæden in Practica sua tit. de Lit. contest. n. 11, 12,* qui glos-
fam

sam quandam des *Lehn-Rechts cap 88.* (quæ dicit,
tiewohles nicht in unserm Recht gewöhnlich) diabo-
licam plane appellare ausus est: Utrique existimant *ge-*
nerale illud juramentum *Calumnie* ob generalem su-
am justitiam nec lege nec contraria consvetudine
abrogari posse ob fundamentum Juris divini *Exod. 22.*
quo niteretur, & *c. 5. X. d. Jur. calumn.* utriq; autem in-
signem erraverunt errorem, cum incivile sit totum Jus
irrationabilitatis accusare, & particula legis saltem in-
specta, de tota velle judicium sumere, cum tamen Se-
renissimi Legislatores ad justitiam tanquam Lydium
lapidem leges composuerint, *Jusque Saxonicum* ob
sanctitatem suam & justitiam non uni populo, sed toti
inclaruerit orbi. Ita enim cœlo datum videbatur di-
vinum illud munus, & quò majus in civili vita dari
terris non potuit Jurisprudentiæ Saxonicæ benefi-
cium, ut non jam amplius incertis arbitriis hominum,
sed perpetua certaue lege, quicquid contentionum
est, componi, ipsæque partes, si tantum iis bonæ men-
tis, quantum virium est, sibi judices esse possint.
Quanquam igitur, si autoritatibus esset pugnandum
non rationibus, *Colero, Jacobum Schultes Jureconsult-*
tum Saxonie celeberrimum in Præfatione ad Decisiones
Coleri possem opponere, qui illas Decisiones, quas
descripserat tumultuario labore, post mortem de-
mum *Coleri* edidit in lucem, & quod habet de *Jure*
Saxonico in dicta Præfatione aliam fovet sententiam,
nolo tamen alienis armis uti, dum suppetunt propria.
Falsissima itaque est opinio, *Juramentum Calumnie* o-

B

rigi-


rigine sua esse juris divini, *Bartol. in Extravag. ad reprimendum in verbis, & figura judicii. Menochius d. arbitr. jud. l. 1. qq. 20, cum cap. 22. Exodi* loquatur potius de juramento purgatorio, quam calumniæ, quod est credulitatis. *conf. Georg. Obrecht. tract. d. Jur. Calumnia c. 3. n. 4.* accedit, quod illud juramentum certo modo in Republica Atheniensium fuerit cognitum, imo in ipsa Republica ante Imperatorem Justinianum *l. 44. ff. famil. ercisc.* adeoque Juris Civilis, quod pro populorum & regionum diversitate mutationi est obnoxium *l. 6 ff. d. J. & J.* Neque alia est natura illius juramenti generalis quam specialis, quin potius hujus præ illo prærogativa quædam, quippe quod certis saltem personis, quarum fides est suspecta, à Judice imponitur, vel etiam textus *Juris Electoralis Proceß-Ordnung tit. von Endmalitia & Appellation-Ordnung tit. 33. eodem* male intelliguntur. Quod si enim intendunt illud juramentum generale, quod in omnibus causis post litem contestatam omnibus præstandum est, concedo omnino hoc ab observantia recessisse, si vero de eo juramento calumniæ generali sermo est, quod ad totam causam pertinet, nec ad hunc vel illum tantum articulum, negativa verior videtur sententia. Eandemque hoc argumento adstrui posse arbitror, quod in *Ordinatione Appellationis tit. d. Juramento malitia* verba ab initio sese ita habeant: *Obwohl das Juramentum Calumnia generale sonst in unsern Landen nicht bräuchlichen / ubi vox sonst /* quæ in Ordinatione processus omissa deprehenditur, non frustra de-

debet esse adhibita, ut adeo vera textus sit interpretatio, quamvis in causis secundæ Instantiæ & Appellationum, Appellantes præcisè & in omnibus causis juramentum calumniæ deponere non teneantur, adigantur tamen juris quadam necessitate, si de calumniâ sint suspecti, & ita sæpius pronunciatur: **W**ürde Appellant oder dessen Advocatus das Juramentum malitiæ oder calumniæ abstaten / und schwören / daß er diese Appellation nicht zum Verschleiß der Sachen noch gefährlicher Weise eingewandt / so ergienge derselben halber ferner was recht ist. Cui coronidis loco *Decis. Electoral. noviss. 70.* vom End vor Gefährde, so *juramentum malitiæ* genennet wird / adjicientes Lectori commendamus benevolo. Ex quibus omnibus nullam dubitationem superesse amplius posse confido, posteaquam *Justitiam Juris Saxonici*, quæ ad summum ascendisse videtur fastigium, ab iniquis illis vindicavi censoribus. Tuetur quippe Potentissimus Rex noster & Elector Saxonie **FRIDERICUS AUGUSTUS**, *Dux Julie, Clivie, Montium, Angria & Westphalia, Sacri Romani Imperii Archimarschallus, Landgravius Thuringia, Marchio Misnia, Superioris Inferiorisque Lusatia, Burgravius Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus, Comes Marca, Ravensbergi & Barbia, Dynasta in Ravenstein, &c.* Dominus meus longe Clementissimus, Jus hoc Saxonicum à Majoribus acceptum gloriosissimæ memoriæ, incredibili sua virtute & fortitudine animi adhuc. Imo tuetur

227e 361 X 3114865 W18
tur & auget. Servet itaque Autor ipse Justitiæ
Sacratum hoc & Augustum caput, saluum, inco-
lume, fortunatumque. Sit Deus stator Ipsius secu-
ritatis, uti Ipse est nostræ, publicæque, ac certent
incrementis tempora *Ipsius*, cum omnium tempo-
rum felicitate, cujus auspiciis cum ex singulari gratiæ
beneficio *Professio Juris Saxonici & Cursoria Pande-
ctarum Tractationis* mihi sit demandata, è re arbi-
tratus sum solenni Oratione Autoritatem *Juris Sa-
xonici* ejusque usum in *Germania* uberius explanare.
Quam *Orationem* publicam, ut proximo die Mercurii
sacris matutinis peractis, *Rector Academia Magnificus,*
*Utriusque Reipublicæ Proceres cum Generosissima Aca-
demie Musarum* corona præsentia sua honorare, A-
ctumque hunc Illustriorem reddere dignentur, ma-
xima animi veneratione contendo: huncque insi-
gnem benevolentiæ affectum, non solum omni of-
ficiorum promptitudine resarcire allaborabo, sed nec
ullo efficiam tempore, ut tristitiæ comitem
habeatis pœnitentiam. P. P. d. 16.

Jun. 1709.





Q. 166. 16

Ve
361

RECTOREM
ACADEMIÆ MAGNIFICUM,
REIPUBLICÆ VTRIVSQVE
PATRES CONSCRIPTOS,
CVM FLORENTISSIMA
GENEROSISSIMORVM NOBILISSIMORVMQVE
COMMILITONVM CORONA
AD
ORATIONEM,
QVA
PROFESSIONEM
IVRIS SAXONICI, ET CURSORIÆ PANDE-
CTARVM TRACTATIONIS
AVSPICABITVR,
AD D. XIX. IVNII POST SACRA MATVT.
IN COLLEGIVM ICTORVM PETRINVM
SVBMISSE ET PEROFFICIOSE
ROGAT, INVITAT
D. IOH. FRID. TROPANNEGER, P.P.
EXTRAORD.

*De Iuris Saxonici apud exteras
populos auctoritate.
et variis eius factis.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONCEAVIANA